

adefse, sed non quale, cognosci. Si enim cum dictis illis tale quid non fiat, wann sie keinen Schein/Blankz/Licht / erkennen und mercken/ male res habet.

*An pupilla oculo altero clauso non dilatetur, an naturalem ambitum obtineat.* Illud partim dolorem consequitur illum capitis & oculorum, partim vulnera casumque, vnde vidimus a lapsu vulneratam coniunctivam, pupillam vero inæqualiter dilatatam, vt vna minor, altera maior esset, cum visus imminutione; in aliis frequentius angustatam, vbi affluxus fuit maior. Hoc vero melius est, vt & si non nimis angusta fuerit in genere.

*Quo gradu suffusio consistat, an imminens, an media, an confirmata; seu an inferi adhuc quoque, an in facto.* Facit id non solum ad prognosin ipsam & remedia alia; verum etiam ad depositionis tempus determinandum; & claret, colligique potest, tum ex visu, ex parte, vel omnimode cessante; tum ex colore & consistentia pelliculæ obductæ, non nimis tenuis, sed firmioris iam & sic perfectæ ac maturæ magis ad operandum, licet non æquali æque maturitate se ostendente. In foemina primaria tale quid accidebat, vbi vno perfecta, altero imperfecta adhuc aderat maturitas. Fiebat tamen in vtroque depositio cum successu, vbi operator artificiose acu frictionem præstante succurrebat, dissipatione sic facta faciliori.

*An oculi infirmati morbis vel erroribus variis, vt nendo, acu pungendo, studiis, lucubrationibus in multam noctem productis, sæpe demum in senio effectu se exerente, aspectu ignis ardentis, eclipsium, vel solis ipsius intuitu, insolatione, niuis aspectu longiori; quod Xenophontis militibus nocuit, vel fotibus calidis.* Vidimus suffusionem in studioso, quam solis fotibus calidioribus oculo-